





19
1741, 2

MEMORIAM
VIRI
AMPLISSIMI ATQVE EXPERIENTISSIMI
RVDOLPHI CHRISTIANI
WAGNERI

PHILOS. AC MED. DOCTORIS
MATHEMATVM ET PHYSICES P. P. O.
ORDINIS PHILOSOPHORVM SVBSENIORIS
MERITISSIMI

D. VI. APRILIS MDCCXXXI.
PIE PLACIDEQVE DEFVNCTI
CIVIBVS SVIS

COMMENDANT
PRORECTOR ET SENATVS
ACADEMIAE IVLIAE.

P. P. IPSO EXEQVIARVM DIE XI. APRILIS.

HELMAESTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

PRORECTOR ET SENATVS
ACADEMIAE IVLIAE
CIVIBVS ACADEMICIS
S. P. D.

Luctuosam quidem ac satis acerbam, sed eam tamen memoratu dignam, nec infructuosam compellendi vos, Cives, tristitia Iuliae nostrae fata denuo nunc materiam exhibent. Vix dum enim graves ac multiplices isti, quos ex nobilissimorum Doctorum quorundam, nominatim IONAE CONRADI SCHRAMMII, theologi, ERHARDI REV-SCHII, oratoris, IO. GEORGII STEIGERTHALII, BRANDANI MEIBOMII, tandemque ELIAE FRIDERICI HEISTERI, LAVR. filii, medicorum, funeribus singuli atque omnes adhuc perferentiscimus, dolores paullulum remisere; ecce novam novus, eamque tristissimam, casus nostrae civitati plagam imposuit atque calamitatem. Amisimus enim ante

aliquot dies , non quidem praeter omnem expectationem, sed maximò tamen cum dolore , nec sine multo disciplinarum salutarium atque optimarum, mathematicarum imprimis et physicarum detrimento, venerandum Senem et Collegam nostrum, hactenus nobis coniunctissimum, nunc desideratissimum,

RVDOLPHVM CHRISTIANVM WAGNERVM,

philosophiae ac medicinae Doctorem celeberrimum atque experientissimum , philosophiae naturalis ac matheseos in academia nostra per quadraginta fere annos Professore publicum atque ordinarium meritissimum; virum , qui cum ingenio solerti atque eruditione exquisita haud fucatam pietatem et in expediendis negotiis , publicis pariter ac privatis, dexteritatem atque alacritatem plane singularem , in ipsa autem vita et cum aliis consuetudine prorsus eximiam humanitatem ac modestiam coniunxit.

Quo penitius vero ac sollicitius praeclaram optimi Doctoris huius vitam et mortem circumspicimus, hoc plures quoque ac graviores existere causas animadvertimus , quae luculentum officiosae pietatis beateque defuncto atque honestissimae ipsius Familiae debiti amoris monumentum aliquod flagitant. Mortem ipsam, quaeque hanc sensim propeque sine
fen-

sensu induxit, notabilem corporis ac mentis debilitatem si spectare suscipimus, res equidem quotidiana et communis omnium, proh dolor, calamitas mors est; sed ipsa tamen digna omnino, quae quavis data occasione et quam curiosissime consideretur. Proderit igitur, imo vero maximopere proderit, vel ex hoc etiam exemplo gnaviter didicisse, quod nunquam gnaviter satis disci potest ac moneri, summam ac certissimam corporis ipsiusque vitae fragilitatem, et nihil denique, praeter rectam et tranquillam mentem, seu virtutem, huiusdemque beneficio partam laudem, in humanis rebus firmum esse, aut perpetuum. Expediet item hinc didicisse, quam sit ad tuendam veram felicitatem animique tranquillitatem salutare ac necessarium, *tota vita, uti vivere, sic mori etiam discere.* Nam, ut ait sapiens Romanus *de brevit. vitae c. VII. vivere tota vita discendum est, et, quod magis fortassis miraberis, tota vita discendum est mori.* Neque vero imbecillitatis tantum ac mortis, sed et cum primis studiorum ac meritorum illorum, quibus sese atque omnem vitam suam Noster nobilitavit, neque non fortunae successus, qui studiorum velut comites extiterunt, saluberrima erit, nisi fallimur, contemplatio. Quid enim quaeso ad pietatis

ris ac prudentiae studium vehementius invitare vel excitare hominis animum potest, quam illustria divinae humanis in rebus ac fatis providentiae, nec non eiusmodi virorum exempla, qui haud vulgarem laudem sibi compararunt. Tametsi vero non penitus reprobari eorum instituta debent, qui virorum excellentium et bene de republica meritorum aut corpora ac facies aromatibus atque artificiosa conditura quadam, aut statuis atque imaginibus follertissime confectis ab interitu atque oblivione vindicare satagunt; longe tamen rectius facere, nostro quidem iudicio, ii videntur, qui digna et sincera virtutum commemoratione, quasi viva imagine quadam expressa, insignes nobilium virorum animas posteris spectandas exhibent atque imitandas.

Age igitur, pro solemni ac laudabili ista, quae inde a primo academiae huius ortu inter Professores Iulios viguit, consuetudine, beati et post ipsa quoque fata maxime amabilis WAGNERI nostri vitam ac studia, munera item atque in academiam Iuliam et rempublicam literariam merita, fata denique ac mortem, prout decet, simpliciter atque apertissime describamus.

Edi-

Editus scilicet in hanc lucem est ὁ μαμαρίτης
*pridie Id. Martii, anno reparatae salutis postmillesimum
sexcentessimum septuagesimo primo*, genitus a parente
litterato IOHANNE GEORGIO WAGNERO, viro
nobilissimo atque amplissimo, causarum forensium
patrono ac generosissimis Dominis TREVSCHEN
DE BVTTLAR ab administratione iurisdictionis,
propter spectatam animi sinceritatem rerumque a-
gendarum peritiam his ipsis patronis suis maxi-
mopere caro; matre ANNA CATHARINA KI-
STERIA, matrona vitae integritate ac virtutibus,
quae sequiorem sexum inprimis ornant, praestan-
tissima. Vtrique parentes hi Isenaco a parentibus ho-
nestis oriundi, atque idcirco illarum immunitatum,
quibus inclitae urbis huius cives gaudent, participes
fuerunt. Patriam equidem Nostrae *Nesselrodam*, supe-
rioris Hassiae pagum, Werrae fluvio atque Isenaco op-
pido vicinum, dum respicimus, definiri vix poterit,
maioresne haec illi res praeclaras discendi tractan-
dique ardorem, an huic ille eruditione ac fama sua
splendorem conciliaverit. Haud raro enim a viris
praeclaris obscuram patriam illustrari propeque sem-
piterna gloria beari, nemo facile, nisi qui rerum om-
nium ignarus, fortassis in ipsa patria hospes est,
igno-

ignoraverit. Quantis autem Hassia, felix illa sapientissimorum artibusque mathematicis impense faventium Principum genitrix, naturae atque artis miraculis, quasi totidem ad scrutandas physicae ac mathefeos delicias incitamentis, superbiat, PHILIPPI *Magnanimi*, WILHELMI *Astronomi*, et CAROLI denique *perspicacis* illustria facinora, quin et stupenda illa, quae Cassellas inprimis ornant, machinamenta atque aedificia fatis manifesto docent. Quis ergo miretur, a teneris statim annis sapientiae ac mathefeos penitioris desiderio WAGNERVM nostrum, omine quidem fatis fausto, flagrasse: quum praeferatim is fautricem admodum in tribuendis animi dotibus naturam habuisset. Sed ante tamen, quam haec studia tractarentur, id sibi datum parentes optimi existimarunt, ut primis cum litterarum, tum pietatis ac religionis christianae rudimentis teneram pueri mentem mature et quam diligentissime imbuerent, CASP. RVD. CROLLIO, et post eum NICOLAO ROTHIO, Nesselrodanis Pastoribus, in huius curae atque institutionis societatem venientibus.

ROTHIO equidem in docendi munere succedebat vir admodum reverendus GE. SEBAST. GOEBELIUS, illustrissimo Comiti DE KIRCHBERG a concio-

cionibus aulicis et confessionibus sacris, idemque singulari prorsus in formanda iuventute prudentia conspicuus. Hoc itaque duce, non graecas modo latinisque litteras, sed et cumprimis arithmeti-
corum de numeris et computo, geometrarum de magnitudinis commensuratione atque astronomorum denique de utriusque sphaerae, terrestris nempe ac coelestis, usu doctrinas, pro aetatis atque ingenii ratione, diligenter admodum noster tractabat: subindeque proin salutare fruges illas amplificabat, quarum prima quasi stamina vel semina a beato parente suo susceperat. Linguas autem orientales quoque nostrum tunc degustasse, hoc minus certe mirum videri debet, quo longius idem ab illorum semper abfuit sententia, qui velut agraria lege quadam sic aut divisas aut dividendas esse scientias existimant, ut praeter singularem illam, quam quis forte tractat, tractandamve suscipit, ceteras quoque attingere disciplinas nec deceat, nec fortassis expediat.

Positis, quemadmodum diximus, studiorum tirociniis, anno supra millesimum sexcentisimo octogesimo quinto musas Ienenses, modo laudato

B

GOE-

GOEBELIO comite salutavit, in civium studiosorum numerum a. d. XIX. Iunii rite susceptus, summam regiminis academici tunc tenente D. GESCHVBARTO, eloquentiae professore celeberrimo, singulari Germaniae literatae ornamento. Commode tunc iuuenis WAGNERVS in notitiam venit IOH. DAN. HAACKII, philosophorum ordinis adiuncti, qui, cognita ipsius probitate atque industria, sic eum dilexit, ut non ad dicendi modo scribendique artem vel exercitationem fideliter manipulum duxerit, sed excellentis quoque polyhistoris ac mathematici, IO. ANDR. SCHMIDII, logic. ac metaphys. apud Ienenses tunc Professoris, in amorem ac patrocinium quam diligentissime insinuaverit. Hic ergo, perspecta iuuenis indole, singulartique ad disciplinas physicas et mathematicas propensione, benigno admodum hospitio ipsum excepit, dexterrimoque studio in his ipsis doctrinis ingenium illius exercuit; imo vero, quod saepissime, et nunquam sine summae venerationis significatione, optimus WAGNERVS noster praedicavit, inopiam ac rerum, quae ad vitam academicam requiruntur, indigentiam, ipsiusque parentis iacturam ita promte ac benigne humanissimus SCHMIDIVS levavit, ut
artes

artes mechanicas varias, futuro mathematico adprime utiles, propriis sumtibus doceri eum iusserit. Verbo: SCHMIDIVS liberalem ac perbenignum WAGNERO nostro sese parentem praestitit. Qua ipsa equidem viri summi benignitate ita mirifice noster extimulatus est, ut maxima cum voluptate nihil non eorum perficeret, quae ad elegantem ac solidam eruditionem quomocunque spectarent. Frequentissime igitur ac libentissime CASP. SAGITTARIUM, historicum, ERHARDVM WEIGELIUM, mathematicum, nec non CASP. POSNERVM, physicum, doctores sane excellentes, auscultavit. Opportune vero simul IO. CHRISTOPHORI WENZELII, medicinae tunc Doctoris et lycei Altenburgensis postea directoris clarissimi, consuetudo ei contigit ac familiaritas: hoc magis certe iucunda et salutaris, quo felicius progredi, elegantis philosophi atque oratoris huius ductu, in differendi ac disputandi arte licebat. Ne qua autem exercitatio, studiorum quippe anima, deficeret, WENZELIO, quem honoris causa iterum nominamus, praefide, anno superioris seculi octogesimo nono, in arenam noster descendit, *de purpura sanguinis*, publice, nec sine adplausu, habita disputatione. Inter ipsas illas,

quarum facta nunc mentio est, operas, speciosam, si-
ve litteralem arithmetica, admirabilem velutique
magicam istam analyseos matheticae ac sublimio-
ris geometriae clavem ex incliti LEONH. CHRIS-
TOPH. STVRMII, CHRISTOPHORI filii, diverso-
rum Principum postea mathematici atque archite-
cti, praelectionibus academicis familiarem sibi red-
didit. Neque enim, qui inter complures, eosdem-
que sat eximios mathematicos versabatur, ignorare
temere poterat, sine ea computandi arte, quae pro-
cipuis, ut vulgo vocantur, siue characteribus nume-
rorum barbaris, litteras, tanquam communissimas
quantitatum univérse spectatarum notas, adhibet,
vix ac ne vix quidem excellere quenquam in artium
mathematicarum studiis posse. His itaque recte
positis fundamentis, fieri haud poterat, quin IOH.
HENR. GENGENBACHIO, Ser. Sax. Duc. MAVRI-
TII GVILIELMI architecto famigeratissimo, prae-
ceptore, laudabiles admodum in geometria practica,
arte perspectiva, nec non architectura militari ac ci-
vili progressus faceret.

Sub idem fere tempus, rite prius implorato di-
vini numinis auxilio, medicinae quoque studium
tra-

praestari a philosophiae doctoribus atque artium liberalium magistris debent, communi omnium consensu atque adplausu, nonagesimo quarto superioris seculi anno, septembri mense, impetravit.

Confecto hunc in modum inter musas Ienenses studiorum academicorum curriculo, novum a SCHMIDIO, venerabili tunc Helmaestadiensium theologo, pristinae ac paternae benignitatis documentum noster accepit: dum saepius memorati seculi superioris anno septimo et nonagesimo, perquam humaniter in academiam Iuliam ab eodem invitatus, amplas ac multiplices cum discendi, tum docendi atque emergendi opportunitates in eadem reperit. Ut enim nihil nunc dicamus de perpetua ista benevolentia, qua venerabilis SCHMIDIUS, vir undiquaque doctus, beati WAGNERI nostri in studiis physicis ac mathematicis conamina iuvit ac sustinuit, certe HENR. MEIBOMII chirurgicis, FRID. SCHRADERI de morbis abstrusis, nec non IOH. ANDR. STISSERI botanicis praelectionibus non sine maximo fructu noster interfuit. Quo minus autem defuerint, qui mathematicis artibus imbui a novo doctore cuperent, maxima SCHMIDII auctoritas ipsius-

ipfiusque WAGNERI noſtri virtus amabilis prohibuerunt.

Sed unicum tamen deficere adhuc ad doctrinam, famam ac fortunam WAGNERI videbatur, viri nempe ingenio et doctrina ſupra modum illuſtris GODEFR. GVIL. LEIBNITII, Conſilarii intimi Hanoverani, mathematici, philoſophi ac polyhiſtoris illius incomparabilis, benignitas et commendatio. Qua equidem, ſaepeius laudati SCHMIDII ſtudio ac patrocinio, feliciter impetrata, dici vix poteſt, quam facili negotio, quamque exoptato cum ſucceſſu non ad ſublimiorem modo ſapientiam, ſed et vel maxime ad honores ampliffimos noſter adſpiceret. Scilicet anno ſaeculi ſuperioris nonageſimo octavo, relicta per biennium fere academia Iulia, Hanoveram conceſſit, tamque prolixam humaniffimi LEIBNITII, quem inter continuas ſpeculationes, atque infinitas curas litterarias operoſis computi, ſcriptionis, lectionis atque experimentorum laboribus identidem levabat, expertus eſt benevolentiam, ut quam ſaepeſtime, atque ingenue ſemper, confeſſus ſit, neminem plane exiſtere, cui praeter Deum plus debeat, quam LEIBNITIO. Hunc igitur

tur unum se ex omnibus maxime suo quodam iure ac merito venerari. Prolixum nimis foret ex illustris LEIBNITII epistolis, cum editis, tum et praecipue ineditis, ordine hic commemorare, quid in tuendis, promovendis atque ornandis beati WAGNERI nostri studiis Vir summus dixerit, scripserit, monuerit, tentaverit, effecerit. Huius certe, ac SCHMIDII commendationibus factum est, ut SERENISSIMI ACADEMIAE IVLIAE NVTRITORES anno seculi huius primo matheosos, sexto autem physices docendae provinciam, liberali stipendio proposito, clementissime nostro demandaverint. Praeludit hisce muneribus ex more et boni ominis causa, praeter commendationes alias infra recensitas, binis orationibus, quarum altera *felix matheosos ac medicinae connubium*, altera *matheosos in physicis usum*, quanta potuit, contentione maxima demonstravit.

Quo rectius autem servire in facienda medicina humanae vitae necessitatibus valeret, medicinae doctoris titulum ac privilegia a primis in arte medica praeceptoribus suis, Ienensis academiae luminibus, anno seculi huius octavo, decenter flagitavit obtinuitque; habita hunc in finem, GE. WOLFFG. WEDELIO praefide, de *contrasiffura, resonitum*
alii

alii vocant, disputatione perquam sane curiosa
atque a variis circa sonum experimentis commen-
dabili.

Haud ita multo post, anno videlicet seculi huius
decimo, virum amplissimum GERH. STOERIVM,
focerum, officinae pharmaceuticae aulicae apud Ha-
noveranos praefectum expertissimum, summos in
medicina honores suscepturum, in academiam Kilo-
niensem, non sine iucundissimo fructu, comitatus
est. Neque enim salutare modo praeceptorem ac
patronum veterem G. C. SCHELHAMMERVM, Ser.
Duc. Holsat. tunc archiatrum ac medicum prima-
rium, ceterosque athenei cimbrici doctores celebres,
sed coram etiam spectare, habitoque de mathemati-
corum institutis ac desideriis sermone vario, perlu-
strare nobilem istum, quem SAM. REYHERVS,
iuris ac matheos consultissimus Kiloniensium doctor,
pro amplificandis matheos studiis atque opportu-
nitatibus conquifiverat, librorum atque instrumen-
torum thesaurum contigit.

Nec minor sane, si non maior eius profectionis
usus videtur, quam anno seculi huius circiter vige-
C fimo

fimo sexto ad inclitum nostrae huius aetatis mechanicum atque opticum, Dabrunensium Pastorem, IOH. GE. LEVTMANNVM, ad novam Rufforum academiam Petropolitanam tunc abiturientem, huicdemque vicinos, Vittebergenses professores, Celeb. I. F. WEIDLERVM praecipue, noster instituit.

Quamquam autem vir beatus nullas non physicae ac matheseos doctrinas sollicitè tractavit fereque continuis lectionibus academicis explicuit, nullas tamen sollicitius, nullas item feliciter tractavit atque excoluit iis, quae ad fideralem scientiam sive astronomiam atque opticam pertinent. Rectissime enim intelligebat, sine huius instrumentis atque artificii valde imperfecta esse astronomorum conamina atque instituta: astronomiam autem philosopho ad planius cognoscendam universi adspectabilis conditionem ipsiusque Numinis immensi maiestatem tam utique necessariam existere, quam quae maxime. Dolendum itaque magnopere est, calamitates atque occupationes varias impedivisse, quo minus designare, componere ac digerere multiplices, et eas quidem haud spernendas, observationes istas noster potuerit, quas ipsi continua eximiorum telescopiorum et constru-

structio, et ad coelestium corporum ac phoenomenorum considerationem applicatio subministravit. Vicerektoris academici munus quater; decurionis inter philosophos duodecies, sex in eo magistris seu philosophiae doctoribus solenniter creatis, aedilis academici, aliquoties per intervalla et cum socio, denique ab anno seculi huius vigesimo octavo ad quadragesimum usque perpetuum ac solus, singula vero ita fideliter ac provide gessit, ut ne quid detrimenti civitas nostra litterata caperet. Tametsi vero nos cum iis neutiquam facimus, qui Pythagoraeorum more singularem propeque divinam, uti reliquis numeris, sic et cum primis quaternario virtutem inesse statuunt; tamen ipsa rei dignitas exigit, ut quartum eundemque postremum b. WAGNERI nostri prorektoratum, qui quidem in annum seculi huius primum ac trigesimum incidit, reliquis omnibus splendidiorem atque exoptabiliorem iudicemus. Hunc etenim ipsis idibus Octobris, sive academiae nostrae Iuliae natali, gratiosissima divi LVDOVICI RVDOLPHI Brunov. ac Lunaeb. Ducis, Principis sapientissimi praesentia atque incomparabilis munificentia sic illustravit, ut magis illustrem consequi gloriam Iulia nostra vix potuerit.

Senatoris academici, civis item christiani personam ea semper moderatione noster sustinuit, ut nihil quidquam temere, nihil ambitiose, nihil perverse, quin omnia potius ad communem publicae rei felicitatem, et quemadmodum iustitiae atque humanitatis leges postulant, fecerit. Quam is gratus, erga pauperes inprimis, medicus extiterit, nemini fere non perspectum esse arbitramur.

Accepistis, Cives, quomodo in studiis atque officiis academicis, quomodo item in negotiis publicis vir beatus se se gesserit. Reliquum est, ut rei familiaris ac vitae domesticae modum ipsiusque mortificationem breviter exponamus. Ne speculationibus mathematicis et negotiis academicis intentus animus, aut circuli, curis forte domesticis turbarentur, fidam utique ac providam curarum et vitae sociam deligendam sibi esse non sine iusta ratione noster statuit, simulatque suscepto professoris academici munere ad constituendam rem domesticam animum adhibuit. Opportune vero ipsius, medicinae ac matheos tunc candidati, apud ill. LEIBNITIVM secessus Hanoveranus efficiebat, ut CATHARINAM MARIAM, ERNESTI ANDREAE, phar-
ma-

macopolae aulici Hanoverani peritissimi pariter ac
spectatissimi, filiam, tori et, quas diximus, curarum
domesticarum sociam sibi noster exoptaret: virgi-
nem quippe, ut corporis, sic animi quoque cumpri-
mis pulchritudine ita nobilem et praeclaram, ut ni-
hil fere supra. Rite igitur celebratis a. d. VII. No-
vembris anni supra millesimum septingentesimum
secundi, nuptiis, faustissimo fidere domum duxit,
quam modo laudavimus, suam amatam. Non po-
terat non iucundum esse ac fortunatum coniugium,
quippe inter eiusmodi personas institutum, quae
utraeque ad humanitatem ac societatem amabilem
quasi a natura videbantur esse compositae. Felici-
tatis atque amoris huius conjugalis septem WAGNE-
RVS suscepit pignora. Ex his binae filiae natu ma-
iores, altera quidem CATHARINA MARIA infans
atque ante matrem, altera vero RVDOLPHINA MA-
RIA, femina lectissima, iucundissimae matri super-
stes, viro spectato HAGEDORNIO, mercatori Lu-
becensi, anno seculi huius trigesimo octavo nupta,
circa finem anni subsequenti trigesimi noni, paucis
a filiolarum partu diebus, praeter omnem spem atque
expectationem, decesserunt. Superfunt igitur tres
filii, inter quos natu maximus, vir experientissimus

atque amplissimus IOH. GERHARDVS, medicinae doctor, apud Lubecenses doctrinae fama et medendi dexteritate floret, alter, vir maxime reverendus IOH. CHRISTOPHORVS, verbi divini praeco discretissimus pariter ac fidelissimus, coetui, qui Ritterhudaë apud Bremam Christo colligitur, praest, tertius IOH. LEOPOLDVS, pharmaceuticae artis cultor perquam peritus existit. Duae denique filiae, CHRISTIANA DOROTHEA, et HENRIETTA IVSTINA, virgines virtutibus sexum sequiorem decentibus ornatissimae. Nolite vero, Cives, singularem istum, quem liberorum optime moratorum maximamque partem iam fortunatorum, virtus WAGNERO peperit, voluptatis ac felicitatis fructum demirari; quin ita potius habete, dignum ac proprium hoc eorum praemium esse, qui velut duplicatis erga rem et salutem publicam officiis non ipsimet modo probi atque officiosi existunt, sed probis etiam atque officiosis liberis beare civitatem satagunt. O fragiles vero atque imperfectas hominum fortunas! vix persentiscere hoc quicquid est oblectationis noster coeperrat, quum WAGNERIAM, vere dimidiam animae suae partem certissimumque senectutis praesidium ac solatium, peracerbo funere, a. d. X. Ianuarii anno seculi huius

huius trigesimo quinto amitteret. Vix novo gaudio e Lubecensibus filiae dilectissimae nuptiis percepto recreatus esse optimus senex videbatur, quum luctuosa atque inopinata eiusdem morte vehementissime de-
nuo adfligeretur, ac, quod secuta haud multo post notabilis virium deminutio prodidit, tantum non vno velut ictu prosterneretur.

Nemo equidem, si veteris illius sapientis sententiam sequi voluerimus, ante obitum beatus existimandus est; sed posse tamen, qui probitatis ac prudentiae subsidio mentem erectam sustinent, nunquam non et per omnem vitam suam, vel inter medias etiam calamitates suas, beatos ac felices existere, non ex rationibus tantum atque exemplis aliis bene multis manifestum videtur, sed unius etiam WAGNERI nostri exemplo comprobari fortassis poterat. Benignae profecto Numinis providentiae documentum videatur, multiplices ac varias illas, quae ipsi contigerunt, calamitates ac molestias, corpus magis quam animum excruciasse: quantumvis etiam debilitata esse memoriae virtus videretur.

Habitus corporis iuvenili ac virili aetate satis vegetus fuerat; nisi quod levior haemoptysis quaedam anno circiter seculi huius duodecimo se se ostendisset.

set.

fer. Aetas vero senilis varios quanquam minus graves paraplegiae affectus tandemque ita mirificam primo crurum, mox universi corporis debilitatem induxit, ut primo ambulandi, deinde standi, tum loquendi, denique vero cernendi facultas pedetentim extingui videretur. Tactum ac motum corporis omnem exquisitis cum doloribus coniunctum esse, voces ac gestus oris lamentabiles haud obscure significabant.

Summa interim constantique mentis cum tranquillitate, suaviter velut quiescentibus corporis partibus plerisque, per aliquot fere septimanas continuas exoptatum illud temporis momentum noster expectabat, quo vitam fugacem atque aerumnosam cum sempiternis et tranquillis gaudiis commutare posset. Plane id ipsum ac saepius, suaviter hunc in finem a venerando sene HENNINGIO, doctore theologo ac Sereniss. Brunov. ac Lunaeb. Duci a consiliis confistorii ecclesiastici, amico vetere, compellatus atque excitatus, voce prompta atque hilari declaravit: donec tandem a. d. VI. mensis huius, primo purpuram rubram, mox novum paraplegiae adfectum, denique vero purpuram albam expertus, post horam X. ante meridiem placide ac dormienti fere similis inter adstantium preces, nec sine largis moestissimarum filiarum

rum ac fororis, probatissimae virtutis ac pietatis matronae, lacrymis exspiraret.

Septuaginta igitur annos integros ac mensem circiter dimidium beatus WAGNERVS noster vixit, exemploque memorabili suorum in academia Iulia antecessorum physicorum pariter ac mathematicorum neminem non muneris gesti diuturnitate superavit. Siquidem in docenda mathefi fere *quadraginta*, in physica autem *quatuor et triginta* annos laudabiliter confecit.

Haud equidem iniustae, imo vero iustissimae sunt ac piissimae, quibus parentis desideratissimi funus liberi moestissimi una cum amita sua carissima deflent. Sed sperare tamen, aut confidere potius vere christiana dudumque spectata ipsorum prudentia iubet, fore, ut aegritudinem et lacrymas generosa temperare patientia studeant. Quum praesertim certum ipsis sit atque exploratum, nutu et consilio Numinis optimi maximi benignissimo et plus quam paterno nihil non eorum fieri, quae mortalibus accidunt; sive ea prospera sint ac iucunda, sive calamitosa atque adversa. Nunquam enim destituuntur, nunquam infelices existunt illi, qui sua se virtute involvunt iustissimaeque Numinis optimi providentiae sese totos committunt.

D

tunt.

runt. Faxit, precamur, immensa benignissimi Numi-
nis clementia, ut largissimis acerba haec Wagneriae
familiae fata solatiis et prosperis rerum successibus
compensentur. Sic enim dubium non est, quin ea
semper futura sit uti nobilissima, sic florentissima.

Vt funeris exequias praesentia vestra cohonestis,
nunc quidem, Cives carissimi, neutiquam voshorta-
mur. Nostis, musas silentium, mortuos solitudinem
amare. Hortamur interim, et per defuncti doctoris
optimi amorem ac merita, quin et per vestram ipso-
rum salutem vos obtestamur, ut mente et cogitatio-
nibus quam saepissime prodire in hoc funus, atque *id*,
quod demonstrandum erat, in defuncto mathematico,
quoad eius fieri potest, severissime perpendere haud
reformidatis. Hoc igitur supremum a iucundissimo,
dum vixit ac docuit, mathematico et physico
Iulio actuosae vel ocularis demonstrationis speci-
men accipite: *Vt ne mentis, vitae ac felicitatis cir-
culi temere turbentur, vivere ac mori tota vita
discendum esse.* P.P. a. d. XI. April. anni
clo Io cccxxxi.



SCRIPTA

SCRIPTA
B. D. W A G N E R O
AVCTORE VEL AVSPICIIS EIVS
EDITA.

Examen methodi *Renaldiniana*e ad polygonorum omnium ordinatorum inscriptionem generalem in circulo. respond. IOH. CH. WAHRENDORFF. Helmst. 1700. 4.

Programma de progressu parallelo analyseos et praxeos mathematicae, sub init. lectionum astron. public. P.P. 1701. 4.

Diff. de gyris convolvulorum. resp. IO. GE. GVIL. STARCKEN, 1705. 4.

Progr. de geometriae speciatim verò puncti in scientia naturali usu, commentationibus physicis praemissum. 1706. 4.

Diff. inaug. med. de contrasfura ex principiis mechanicis, physicis ac medicis deducta. praef. GE. WOLFFG. WEDELIO. Ien. 1708. 4.

Abdankungs-Rede bey der Leiche IO. BARTH. NIEMEIERI Theol. D. ac P. P. O. nec non acad. Iuliae Senioris, de annis *climactericis*. Extat oratio illa in *parental*. I. B. Niemeieri an. 1708. fol. Helmst. ed.

IOH. BERNH. WIDEBURGII Diff. praefide R. C. Wagnero habita, de maculis solaribus, praecipue iis, quae an. 1708. et 1709. apparuerunt, nec non de methodo easdem observandi. 1709. 4.

IO. ANDR. SHMIDII fil. diff. eod. Wagnero praef. habita de Heronis Alexandrini vita, scriptis et quibusdam inventis. 1714. 4.

Erzehlung derer zu Helmstädt am 17. Martii 1716. zu Nachts gesehenen Meteororum igneorum. 1716. 4.

IOH. NIC. FROBESII diff. inaug. R. C. Wagnero decano habita de praestantia matheos in philosophia naturali. 1726. 4.

IOH. KOLLII diff. inaug. R. C. Wagnero decano hab. de methodo demonstrativa in doctrinis practicis generatim consideratis necessaria. 1732. 4.



Helmsedt, Diss., 7738/41

X 2309199



19
1741, 2

Farbkarte #13

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

B.I.G.

Inches
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
8

MEMORIAM
VIRI
ATQVE EXPERIENTISSIMI
II CHRISTIANI
AGNERI
AC MED. DOCTORIS
M ET PHYSICES P. P. O.
OSOPHORVM SVBSENIORIS
MERITISSIMI
PRILIS MDCCXXXI.
IDEQVE DEFVNCTI
VIBVS SVIS
COMMENDANT
TOR ET SENATVS
DEMIAE IVLIAE.
QVIARVM DIE XI. APRILIS.

HELMAESTADII
ERICI SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

